



**Via Trium Dierum In Solitudinem Ad Sacrificandum  
Domino Exod. 8. Seu Triduana Ven. Cleri Solitudo Et  
Animi Collectio Deo Sacra Duce S. P. Ignatio Loyola,  
Societatis Jesu Fundatore**

**Zech, Michael**

**Ingolstadii ; Monachii ; Aug. Vindel., 1762**

2. De Precibus nocturnis.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-60697](#)

72 *Consid. de Obligationibus*

*Prima replet sputis ; causam dat Ter-*  
*(tia mortis.*

*Sexta cruci necit : latus ejus Nona*  
*(bipertit.*

*Vespera deponit : tumulo Completa re-*  
*(ponit.*

Examina te modo , Timothee , an,  
& quomodo hactenus seu utilem , seu  
necessariam Breviarium recitandi me-  
thodum & obligationem observaveris.  
Si frequenter negligens fuisti , præser-  
tim si ad Chorum tenearis , vindictam  
clamabunt Deus suo privatus honore :  
*Ecclesia* necessariis per te destituta Cæli  
auxiliis : Fundatores sanctam intenti-  
onem suam a te pessumdatam videntes.

### Quarta Religionis Deo debitæ pars

sunt Præces nocturnæ.

Cubitum ire , artis non est , nec  
virtutis ; nam & canes id faciunt , alia-  
que animalia. At modo christiano , Cle-  
ricali , religioso cubitum ire , virtutis  
est : scl. post preces nocturnas. Audisti ,  
quod primicias tui cordis & vocis quotidie  
debeas Deo ; ergo multo magis noctu  
debes gratiarum actionem pro beneficiis  
interdiu a Deo collatis : compensationem  
pro

pro injuriis eidem illatis: utrumque per preces nocturnas. Non peto longas a te, qui teneris ad Breviarium, utique satis longum. Breve solum conscientiae examen peto. An nimium peto, Timothee?

Utique Christianus es? ergo saltem Ethnicos imitare. Teste S. Hieronymo quotidianum noctu examen non solum gentiles Cicero, Seneca, Galenus, Pythagoras, Epictetus fecerunt ipsi, sed & suis prescripserunt discipulis.

Utique Clericus es, aut Religiosus? ergo fac animae tuae, quod saeculares suae faciunt crumenae. Negotiator saecularis (verba sunt S. Ephrem.) quotidie damna, & lucra computat marsupii.

Utique es peccator, & septies in die casdis, \* etiam justus, saltem in peccata venialia? ergo aliqua ratione tibi dico, quod S. Ambrosius olim dixit Theodosio Imperatori: Davidem secutus es peccantem: sequere ergo & penitentem, qui noctu scopebat spiritum suum, & per singulas noctes lacrymis stratum suum rigabat. \*\*

Quotidie apud me causam meam dico: totum diem mecum scrutor: facta & dieta mea remetior. ita Seneca de se \*\*\*

I.

---

\* Prov. 24. \*\* Psalm. 76. \*\*\* L. 3. de  
ira.

74 Confid. de Obligat. Clerici erga Deum.

Juvat ex S. Patre meo addere hujus examinis praxim tam brevem, quam facilem. Constat 5. Punctis.

1. Redde Deo grates.
2. Pete lumen.
3. Discute mentem.
4. Delicti veniam posce.
5. Recide malum.

I. Per brevem oratiunculam redde Deo grates pro acceptis, hac præsertim die, beneficiis, o quot, & quantis !

II. Per piam aspirationem pete lumen agnoscendi peccata tua. &c.

III. Discute mentem, breviter examinando tuas obligationes, officia, peccata, omissiones.

IV. Delicti veniam posce per actum Contritionis.

V. Recide malum per firmum animi propositum fugiendi non solum peccata, præsertim gravia, sed & occasionem proximam, ac media adhibendi.

Breve est, & in dies brevius erit hoc examen, si fiat quotidie. Si diligenter utaris, Timothee, novem tibi utilitates obtingent, quas S. Bernardus de homine Religioso asserit : *Vivit purius : cadit rarius : resurgit velocius : incedit cautius : quiescit securius : irroratur ( a Cælo ) frequentius : purgatur citius : moritur confidentius : premiatur copiosius.* Quem non allicant tot, tantique fructus ad quotidianum examen ? atque

Dies II. Medit. I. De morte. 7.

Atque ista sufficient de nostris erga  
Deum obligationibus , seu de Religione  
Deo debita. Transeamus ad secundum  
Recollectionis nostræ diem.



**DIES SECUNDA.**  
**HONORIBUS S.<sup>mæ</sup> HUMA-**  
**NITATIS CHRISTI SACRA.**

De  
**PARTICULARIBUS MEDIIS**  
**NOSTRÆ SALUTIS.**

**MEDITATIO I.<sup>ma</sup>**

De Morte.  
**PRÆPARATIO.**

**M**emorare novissima tua: & in æternum  
non peccabis : \* & per consequens  
æternum salvus eris. Id præ reliquis  
efficiet memoria Mortis ; impedit enim  
peccata præsentia : delet præterita : arcet  
futura. Igitur mecum , Timothee , tres  
Mortis proprietates considera.

I.

---

\* Eccl. 7.